

semper per quaecumque mutationem, in circuli instructione factam, omnes actiones simul, et quantum sensu attingere licet, pari proportionem crescere et decrescere videbis. Haec aliaque similia, quae, ne longior sim, hic omitto, profecto ejusmodi sunt, ut nihil in iis requiratur ad plenam convictionem, praeter mensuram accuratam. Nec haec deest respectu actionis chemicae et electromagneticae. BISCHOFIUS enim (Kastn. Arch. IV. 46.) experimentis diligentissimis, gasis ex aqua decomposita evoluti quantitates metiendo proportionem eruit, inter augmenta effectus chemici et numeri electromotorum intercedentem, cujus legem, cum omni theoria nota consentientem, etiam ad effectus electromagnetos pertinere, mea posthac experimenta (Maassbest. der galv. Kette, p. 103.) exhibuerunt. Ceterum huic confirmationi etiam aliam magis directam adjicere liceret experimento sic instituendo, ut circulo cuidam tubus, aquam decomponendam continens, gasique metiendo aptus, simul cum multiplicatore intercalaretur, quo facto facilis foret comparatio variationum simultanearum chemicae et electromagneticae actionis per methodos in sequentibus describendas. De physiologicis et calorificis actionibus confitendum quidem, non jam suppetere experimenta, quae eas ex eodem fonte repetendas esse, etiam illis evincant, quibus, jure forsan, nihil in physicis nisi per exactae mensurae testimonium persuaderi potest, vixque per peculiare conditiones harum actionum sperandum, hujusmodi mensurae de iis locum fore. Sed si superiora collecta non sufficere videntur ad plene convincendum, vim galvanicam, quamquam variorum effectuum causam, semper unam eandemque esse, unumque mensurae genus omnibus ejus effectibus sufficere, certe tam probabilem mihi reddere videntur hanc opinionem, ut pro recta haberi debeat, donec contraria probetur.

Licebit igitur, cuicumque fini mensura vis galvanicae destinata sit, illud semper mensurae genus praeferre, quod per se commodius vel exactius videbitur.